

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

71. Aqua vel Oleum salis Paracelfi

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

XIV. G E N U S.

*Menstrua mineralia simplicia ex acidis
vel salsis salium Essentiis, mensuris vege-
tabilibus confecta.*

71. Aqua vel oleum salis Paracelsi,
Cap. 3. lib. X. Arch. pag. 38.

Quanquam plures sint viæ ad extrahendum Ens primum salis, hæc tamen (*methodus conficiendi sal circulatum, circulatum minus ex sale, Aquam solventem, Aquam vel spiritum salis circulati superius sub No. 27. descripta*) utilissima & expeditissima, & post hanc alia illa via est, cujus de *Elixire Salis* mentionem fecimus. Ut nempe sal recens cum Aqua solvente quæ est spiritus salis (*circulati*) destillatus permixtum putrificetur & tamdiu destilletur, donec tota salis substantia solvatur, ac in oleositatem perpetuam reducatur, corpore phlegmatis in modum ipsi subducto. Hac quoque ratione Arcanum vel magisterium Vitrioli & Tartari conficiendum docetur, ut ex omnibus aliis salibus.

Annotationes.

Menstrua generis antecedentis ex unctuosa vini phil. materia acido purgatâ, dissolutâ & volatilifatâ confici annotavimus; in præsentem contrarium observabimus videlicet acidas vel salinas salium Essentias unctuoso vini phil. spiritu confectas, menstrua esse huius Decimi quarti generis. Paracelsus in recepto præscripto salia cum aqua salis circulati, sola cohobatione redigit in liquidam substantiam sive oleum. Oleum autem ex sale
com-

communi, methodo prædicta confectum, præ cæteris commendat discipulis suis, pro corporum metallicorum extractionibus. Certè, inquit, nobilior, meliorque via non dabitur quam per aquam salis, seu oleum ipsius, præparatum eo modo, quem in Alchymia (& in libris Chirurgicis) luculenter descripsi. Talis quippe Aqua fundaliter & radicitus extrahit omnibus corporibus metallicis liquorem ipsorum naturalem, seu sulphur & crocum præstantissimum tam pro operibus medicis quam chymicis. Resolvit & frangit unumquodlibet metallum, ex natura ipsius metallica id deducens in aliam, pro varia intentione & industria laborantis. *Manuale de Lap. phil. pag. 139.*

Operæ pretium ergò erit ut hujus olei salis confectiorem vobis clarius explicemus. In primis autem afferemus pro recepti elucidatione ab ipso authore allegatam olei salis descriptionem ex libro octavo archidoxorum quam in Elixire salis, pag. 31. ita legimus.

R. Sal optime præparatum, albissimum, & mundissimum: Hoc in pellicanum ponatur cum Aquæ solventis tanta quantitate quæ sexies pondus illius superet. In fimo digerantur equino simul uno mense, postea separetur aqua solvens per destillationem, & rursus affundatur ac separetur ut prius, idque toties, donec sal in oleum convertatur.

Ex receptorum collatione patet per sal recens, non sal marinum recenter confectum, sed idem optime purificatum intelligendum esse. Deinde clarum est, quod pondus aquæ salis circulati in recepto libri X. omissum, ita determinari oportet, ut sexies pondus salis superet. Porro tempus & locus putrefactionis in priori processu ommissa describuntur in altero; videlicet, ut in fimo equino digerantur uno mense. Præterea ex receptis observatur, non totum sal fieri oleum, cum corpus salis per modum phlegmatis, subducatur Essentiæ. Tandem eadem methodo confici etiam posse olea Vitrioli & Tartari. Recepta ita collata non solum omni carent obscuritate, sed ex luminis eorum exuberantia, etiam processus alios, alias minùs intelligibiles illustrant. Ita hoc oleum salis, ut salis Essentiæ vel primum Ens, obscuriorem descriptionem Essentiæ salium libro 4. Archid. pag. 14. traditam exponit.

R. Salia quæ calcinabis optime; si volatilia sint, adures, (sublimabis) postmodum resolvantur in tenuitatem (per de-

E e

li-

liquium) & in Aquam destillentur (per filtrum) Aquam hanc in putrefactionem ponito (minimè quidem per se , sed quod artis discipulus subintelligere & scire debet , cum Aqua salis circulati) per mensem & per balneum destillato , & ascendet Aqua dulcis (corpus salis per modum phlegmatis) quam abjice. Quod ascendere noluerit iterum in digestionem ponas (cum nova aqua solvente) per mensem alium , & destilla sicut priùs , ac toties , donec amplius dulcedo nulla percipiatur. Hac via jam habes quintam Essentiam salis in fundo ; (instar olei) ex adusti vel calcinati salis libra una , vix duas uncias. Hujus salis ad hunc modum extracti , si commune fuerit , uncia semis plus condit cibos quam alterius libra semis. Nam ejus Essentia quinta duntaxat adest , & corpus ab ea per liquidam solutionem abstractum est. Hac ratione quinta separatur Essentia salium omnium.

Processus hic radiis antecedentium ita illustratus non parvum in dicta recepta reflectit lumen , videlicet ex salium libra una vix recipi duas uncias.

In clavi archidoxorum , videlicet libro X. pag. 37. Paracelsus salium Essentias descripsit hisce verbis : Quintæ Essentiæ extractio è salibus puta Vitrioli , Salis , Nitri , Tartari , &c. fit hoc modo. Cohoba cum proprio suo liquore vel Aqua sapius , putresce cum phlegmate , & inde corpus abstrahere in modum phlegmatis usque ad spiritum fixum. Hunc solve in Aqua vel unda sua propria & in fervore separa cum spiritu vini , purum ab impuro.

Descriptio hæc obscurissima est , sed clarior redditur per modo dicta. Mens Paracelsi , hæc est : Salia putrescit & toties cohobatur cum propriis liquoribus vel undis , id est cum propriis circulatis ; sal com. cum sale circulato ; Nitrum cum Nitro circulato , vitriolum cum aqua vitrioli circulati , alumen cum aqua aluminis circulati , aqua solvente ex Alumine , circulato minore ex Alumine , &c. usque dum remaneant in fundo in forma olei , quod oleum , quia vel acidum vel salsum , facile cum unctuosissimo vini phil. spiritu vel circulato proprio effervescit , & in hoc fervore quasdam à se dimittit impuritates , adeoque purius redditur , quod confirmatur ex ipsa aquæ salis circulati descriptione , ubi sal fufum & resolutum per deliquium cum vini phil. spiritu putrescit , cohobatur & usque ad oleitatem abstrahit ; Conjunge , pergit , cum spiritu.

spiritu vini (*phil.*) & impurum in fundo decidet, quod separatum verò in frigido cristallifetur, affunde iterum destillatum & tories cohoba donec oleum fixum in fundo remaneat & nihil dulce postea transgrediatur.

Deinde hoc oleum salis ut menstruum, sui ipsius processum in Chirurgia alias inexplicabilem, intelligibilem reddit, qui ita legitur.

72. Aqua salis aliæ descriptionis Paracelsi,

Cap. 2. Tract. 3. Part. 2. Chyr. major. pag. 66.

Re. **S**Alem absque artis accessione ab ipsa natura albissimum (*sal gemmæ*) quem aliquoties fundes, post in pulverem tenuissimum redactum cum succo raphani mixtum agitabis, post resolutionem destillabis, destillatum cum æqua portione succi sanguineæ destillabis adhuc quinquies, in hac aqua laminæ solis per Antimonium repurgatæ in pulverem faciliè resolvuntur. Pulvis deinceps hoc modo præparatus Aqua dulci destillata abluendus eoufque est, donec nullum amplius salem respiciat, nam sal cum in ipsius substantiam non penetret, faciliè lotionem abluatur.

In hoc processu sal Gemmæ fusum per methodum aquæ salis circulati succo Raphani dissolvitur, abstrahitur & resolvitur per deliquium, deinde sexies destillatur cum æquali portione succi sanguineæ. In antecedenti hujus Olei salis descriptione hæc salis fusio, in succo Raphani dissolutio & resolutio per deliquium non necessaria est, quoniam aqua salis circulati per se sufficit ut salis Essentiam separet à suo phlegmate. At in confectioe aquæ salis circulati ubi utimur spiritu vini phil. absque dicta prævia salis præparatione, opus haberemus nimis tædiosum; interim ambo processus conveniunt in menstrui pondere, perinde enim est, num sal cum sextuplo aquæ solventis cohobetur in oleum; vel sexies destilletur cum succo sanguineæ in æquali pondere. Vnicum quod processum posteriorem reddit inexplicabilem, est incognitus succus sanguineæ, veramenimvero vel vini philos.